

toletem, in hoc distinguere inter esse corruptibile et incorruptibile, materiale vel immateriale, quia quocumque illud sit, si non sit esse divinum, factum esse necesse est, etiam secundum Aristotelis mentem, ut supra ostendimus, tractando de causis et de primo ente. Et ex ibi dictis etiam constat, hanc causam effectricem ipsius esse creati debere esse Deum, vel solum, vel cum alio. Nam cum ipse solus ex se habeat esse, alia non possunt illud habere nisi participatum ab ipso, et consequenter per effectorem ejus. Quam rationem late persequitur D. Thomas, q. 3 de Potent., art. 5, ex Aristot., 2 Metaphysic., cap. 1; et Avicenna, lib. 8 suae Metaph., c. 7, et lib. 9, c. 4. In hoc ergo omnes conveniunt. Dissentiunt vero in aliis causis, scilicet, materiali, formali, et efficiente proxima, et dissensio oritur ex tractata diversitate opinionum circa distinctionem existentiae ab essentia.

De causa materiali existentiae.

3. Igitur, quod spectat ad materialem causam, qui putant existentiam in re distingui ab essentia actuali, tribuunt illi aliquam causam materialem, non quidem sumptam pro materia corporali et quanta, sed generatim pro subjecto recipiente, et in eo genere concurrente ad fieri et esse alicujus; sic enim aiunt essentiam esse proprium receptivum existentiae, extra quod neque fieri, neque esse potest. Quod si objicias, inde fieri, nullius rei existentiam creari a Deo, quia creationi repugnat concursus materialis causae, respondent non creari quidem, sed creatione suppositi existentis concreari; et hoc modo non repugnare aliquid incompletum et quasi partiale fieri, vel potius confieri per creationem cum concursu materialis causae; sic enim forma caeli concreatur. At vero ablata distinctione ex natura rei inter existentiam et essentiam, non est necessaria haec causalitas materialis ad effectorem existentiae, quia ubi non est distinctio, esse non potest vera et realis potentia subjectiva recipiens, et actus receptus, et consequenter nec verus concursus causae materialis. Neque ad hoc sufficit constitutio metaphysica ex actu et potentia ratione distinctis, quia causalitas materialis physica est et realis; et ideo nullus unquam dixit differentiam fieri ex genere tanquam ex materiali causa, vel aliquid simile.

4. Neque, absolute loquendo, potest satis intelligi illud causalitatis genus, quia illud

non potest tribui essentiae, ut considerata in sola potentia objectiva; sic enim, ut saepe dixi, est simpliciter non ens et nihil; quod autem nihil est, secundum eum praecisum statum non potest habere influxum realem, neque aliquid recipere, neque aliud potest adherere illi. Quomodo enim adherere ei, quod nihil est? Neque etiam potest tribui illa causalitas essentiae, ut jam factae et constitutae in ratione entis in actu; nam ut sic, in seipsa, ut receptiva, seu ut condistinguitur alteri actui, includit intime aliquod esse actuale extra causas, quod habet totam essentialem rationem existentiae, ut supra probavimus; ergo respectu illius non potest essentia comparari ut potentia recipiens, quia actus qui recipitur in potentia non includitur intrinsece in ipsa potentia, seu in entitate quam requirit, ut sit receptiva, ut in superioribus etiam satis declaratum est; ergo existentia creata, ut sic, non requirit hoc genus causalitatis ex parte essentiae. Unde cum una essentia non habeat nisi unam existentiam, ut supra etiam probavimus, nulla existentia creata requirit hanc causalitatem ex parte essentiae.

5. Solum ergo potest aliqua existentia requirere causam materialem, quando essentia actualis illam postulaverit; nam, cum in re sint idem, ex eisdem causis physicis oriuntur necesse est. Ita fit ut existentia substantiarum immaterialium nullam habeat materialem causam; existentia autem substantiarum materialium habet illam, eo modo quo earum essentia. Unde, si sit sermo de substantia completa, esse ejus habet causam materialem intrinsece componentem illud; esse vero formae materialis habet similiter causam materialem, non quidem componentem, est enim illud semper simplex et partiale, sed sustentantem et recipientem illud. Quo etiam modo omne esse formae accidentalis, sive spirituale sit, sive materiale, habet ex natura sua materialem causam, a qua sustentetur. Esse vero formae substantialis spiritualis, qualis est sola anima rationalis, non habet causam materialem, non quia illud esse sit completa existentia, ut quidam dicunt; nam si existentia non est alia res ab essentia, cum essentia animae rationalis non sit completa in genere substantiae, nec existentia ejus potest esse completa; sed quia illud esse est spirituale, et ideo independens a materia; et cum alioqui sit substantiale, et est etiam independens ab subjecto, et ex natura sua aptum ad subsistendum incompleta saltem subsisten-

tia. Denique esse ipsius materiae nullam habet propriam materialem causam, sicut neque ipsa materia, cum sit primum subjectum, causam materialem habere potest.

De causa formali existentiae.

6. Rursus dicendum est de causa formali existentiae. In qua re fere omnes, qui distinguunt ex natura rei existentiam ab essentia, dicunt formam esse causam formalem existentiae. Putantque esse sententiam Arist., 5 Metaph., cap. 8, text. 15, dicentis: *Alia est substantia in rebus, quae est causa existentiae, ut anima in animali*; et 2 de Anim., c. 4, text. 36, ubi ait, animam esse causam ipsius esse, seu cur sit animal; et 2 Physic., c. 1, text. 12, ait, res per materiam esse in potentia, et per formam esse in actu. Et Boetius, lib. de Unitate et uno, ait, omne esse fluere a forma. D. Thomas etiam saepe ita loquitur, ut 1 part., quaest. 48, art. 1, 2 contra Gent., c. 54 et 55; Commentator, 2 Phys., text. 12, et 2 de Anim., text. 8; et ibidem Themistius, cap. 4 et 6 suae Paraphras. Et denique tam vulgatum est hoc axioma inter philosophos, ut minime negari posse videatur; nam per formam constituitur res in actu, et omnis actus est a forma; existentia autem est potissimus actus. Item generatio est mutatio de non esse ad esse; sed generatio est ad formam; ergo esse etiam est a forma; ideo enim generatio est ad esse, quia est ad effectum formae. Alii vero auctores distinctione utuntur, nam duplex est esse. Aliud entitativum vocant, aliud formale; hoc posterius dicunt esse a forma, et ita intelligunt citata loca Aristotelis; illud vero prius negant semper esse a forma, quia materia habet suam propriam existentiam, quam non habet a forma.

7. Ego vero, quamvis posteriorem sententiam in sensu, quo ab auctoribus traditur, veram esse existimem, nihilominus censeo in vero et proprio sensu, simpliciter et sine distinctione dicendum esse, omne esse vel esse formae, vel a forma in suo genere causae. Quod ut declarem, suppono quaestionem esse de esse substantialis existentiae; nam esse accidentale, certum est esse a forma accidentali respectu subjecti, seu totius compositi; nam respectu ipsius formae, non proprie est ab ipsa, per propriam et realem causalitatem, cum in re sit ipsamet forma, in quo eadem ratio est et proportio de forma substantiali, ut dicemus. Deinde suppono esse sermonem de esse in substantiis materialibus; nam in

spiritualibus proprie non est forma substantialis, quae causalitatem formalem habere possit; nam, licet illae substantiae dici soleant formae subsistentes, non ita vocantur quia sunt formae informantes, sed quia sunt essentiae perfectae, habentes per suas formales differentias perfectum et completum esse essentiae; in illis ergo substantiis existentia non habet causam formalem physicam; an vero ab ipsamet essentia dici possit esse formaliter oriri, constabit ex dicendis. Rursus formam esse causam totius existentiae in causis materialibus, quatuor modis potest intelligi. Primus est, quia forma complet formaliter proprium susceptivum existentiae. Secundus, quia a forma resultat existentia, ut ab intrinseco principio formali. Tertius est, quia forma intrinsece componit existentiam totius substantiae per modum actus. Quartus est, quia a forma pendet aliquo modo omne esse substantiae.

8. Igitur qui putant existentiam esse quamdam entitatem simplicem re distinctam a materia, et a forma, et a natura ex utraque composita, nec dicunt, nec dicere possunt formam esse causam formalem; existentiae tertio modo supra posito. Neque etiam dicere possunt existentiam esse effectum formalem primarium formae, tum quia talis effectus est inseparabilis a forma informante, existentia autem in eorum sententia est separabilis, ut in humanitate Christi; tum etiam quia hic effectus necessario esse debet aliquo modo compositus ex ipsa forma, et intrinsece includens illam; unde non potest ab illa distingui ut simplex entitas a simplici entitate, sed ut totum a parte. Atque ita aiunt esse essentiae seu constitutionem essentiae esse primarium effectum formae; existentiam vero esse secundarium, altero ex duobus primis modis superius positus. Ex quibus prior est magis receptus inter Thomistas, ut patet ex Capreol., 1, dist. 8, quaest. 1, art. 3, ad 3 Henr., et ad 3 Gerard. contra primam conclusionem; Soncinate, 7 Metaph., quaest. 22, praesertim in solutionibus argumentorum; et Cajetano in locis supra citatis, de Ente et essentia, ubi comparat formam et existentiam diaphaneitatis seu perspicuitatis, et lumini; per diaphaneitatem enim constituitur aer formaliter in ratione proximi receptivi luminis, atque hoc modo complet forma essentiam in ratione proximi receptivi existentiae, quae in tota essentia immediate recipitur, et non in sola forma. Quod intelligunt, quando forma est ma-

terialis et inexistens; nam si sit spiritualis et subsistens, ut anima rationalis, prius natura in se recipit existentiam propriam, et deinde illam communicat toti composito. Unde talis forma non solum complet susceptivum existentiae, sed etiam ipsa est primum susceptivum existentiae, juxta mentem D. Thomae, 1 p., quæst. 76, articulo quarto, et de Ente et essentia, capite quinto, in fine, ubi Cajetanus late id defendit. Quo fit ut formæ angelicæ sint multo magis per seipsas susceptivæ existentiae.

9. Verumtamen hic modus dicendi revera non declarat causalitatem formalem, sed potius materialem formæ respectu existentiae. Nam esse susceptivum existentiae non est esse causam formalem ejus, sed materialem potius; ergo quod complet susceptivum existentiae, etiamsi formaliter illud compleat, non potest dici causa formalis existentiae. Item anima rationalis vel essentia angelica, eo quod per seipsam sit susceptiva suæ existentiae, non dicitur causa formalis ejus; ergo multo minus inferior forma, eo quod sit pars essentiae susceptivæ existentiae formaliter complens illam, dici potest causa formalis ejus. Præterea, quis unquam dixit, quantitatem esse causam formalem omnium qualitatum materialium, eo quod formaliter constituat proximum susceptivum earum? aut perspicuitatem, vel lumen esse causam formalem specierum sensibilium, quarum proximum susceptivum constituit? In quibus exemplis, et infinitis aliis, quæ afferri possent, forma constituens susceptivum revocatur ad causam materialem, vel ut potentia proxima recipiens, vel ut dispositio. Sic ergo dicendum est in præsentia. Et licet hoc videri possit ad modum loquendi spectare, tamen ad rem declarandam multum refert, nam hinc constat, hunc modum causandi existentiam non esse diversum a præcedenti de causa materiali; et consequenter non magis esse possibilem aut verum quam præcedentem. Unde, qua ratione ostendimus essentiam non posse esse causam materialem existentiae, concludi potest, formam non posse esse hoc modo causam ejus. Accedit, quod in hoc modo causalitatis supponitur, formam prius natura in re ipsa uniri materiæ, et habere in ipsa suum primum effectum formalem, quam habeat existentiam, quod tam est inintelligibile, quam quod res sit, vel concipiatur esse in rerum natura, præcisa existentia, de quo inferius iterum dicam. De-

nique, licet daremus formam se habere alio modo ad existentiam integram totius essentiae, tamen hactenus probatum non est, non posse dari existentiam partialem, aut quamlibet partem essentiae non posse esse per seipsam susceptivam suæ accommodatæ existentiae, sicut per seipsam est capax sui proprii esse essentiae, et suæ propriæ actualitatis. Propter hoc ergo censeo falsum esse, formam esse causam formalem existentiae illo primo modo.

10. Alii ergo etiam Thomistæ addunt secundum modum, quem esse verum non aliter persuadent, nisi quia, cum esse inseparabiliter comitetur formam, rationi consentaneum est, ut dimanet ab illa. Sed contra illum urgentius applicari possunt rationes factæ contra præcedentem. Primo, quia hoc genus causæ non est formalis, sed efficientis; sicut quamvis passiones manent a forma, non est causa formalis earum, sed efficiens. Et similiter natura substantialis, licet ab ea resultat subsistentia, non est formalis causa ejus, sed efficiens per naturalem resultantiam; et idem est in omnibus similibus. Deinde hinc evidentius constat impossibile esse, quod essentia creata, prius natura, quam intelligatur affecta existentia, intelligatur habere sufficientem entitatem et sufficientem esse ad hoc genus causalitatis; quia, ut sic concepta, vel est ens in potentia, et sic non potest esse principium efficiens, nec seipsam reducere in actum; vel concipitur ut ens actu, et sic jam concipitur ut includens actuale esse extra causas, quod est esse existentiae. Denique D. Thom., 1 cont. Gent., capit. 22, et aliis locis, omnesque ejus discipuli ex professo probant non posse creaturam esse causam efficientem suæ existentiae, quorum rationes, si attente ponderentur, æque probant de omni causalitate effectiva, etiam per naturalem resultantiam, quia etiam hic modus causandi supponit existentiam in suo principio; ideoque non minus repugnat idem esse causam sui ipsius hoc modo, quam per propriam actionem, et per se efficiendo. Denique, licet admitteremus hoc genus emanationis existentiae ab essentia actuali, nulla ratione est hactenus probatum, non posse a qualibet essentia partiali manare propriam et accommodatam partialem existentiam.

11. Propter nonnullas ergo ex his rationibus, jam aliqui Thomistæ absolute negant, formam esse causam formalem vel efficientem existentiae; quia nec duo illi modi eis

probantur, neque alii duo a nobis positi locum habent, supposita distinctione reali existentiae ab essentia, quam ipsi defendunt. Contraria vero sententia supposita, optime et consequenter dicitur formam formaliter constituere et intrinsece componere existentiam naturæ vel suppositi constantis ex materia et forma, quia formaliter complet et componit actualem essentiam ejus, totamque ejus entitatem. Sed ut formales sint locutiones, oportet in ipsa forma ratione distinguere essentiam ab existentia; nam cum dicitur forma hoc modo componere existentiam, non est intelligendum de essentia formæ præcise concepta, nam ut sic nihil actu causat, sed concipitur ut potens causare; intelligendum ergo est de essentia formæ actualis, et ut est suamet existentia. Atque in hunc modum facile constat quomodo forma sit causa, in suo genere, existentiae totalis rerum naturalium; de qua non incommode exponi possent dicta Aristotelis et aliorum auctorum, nam sola hæc existentia est esse simpliciter, de quo ipsi loquuntur.

12. *Existentiæ materiæ an causet formam.* — Non potest autem forma esse hoc modo causa formalis propriæ et intrinsecæ existentiae materiæ, quia non est pars ipsius materiæ, neque illam intrinsece componit in sua entitate et essentia actuali, in qua necesse est existentiam includi, ut supra ostensum est. Nihilominus tamen est forma aliquo modo causa formalis existentiae materiæ, quia, ut materia sit, indiget informatione formæ, et ab illa pendet modo superius declarato, disp. 15 et 28, et sic nullum est esse existentiae in composito, nec integrum, nec partiale, quod vel non sit esse ipsius formæ, vel a forma aliquo modo non pendeat. Nam ipsum esse partiale formæ non pendet ab ipsa in genere causæ formalis, quia non est causa formalis sui ipsius, physice et secundum proprietatem causæ formalis loquendo, et ideo non dixi absolute omne esse provenire a forma ut a causa formali, sed vel esse ipsius formæ, vel dependere ab illa ut a causa formali. Metaphysice autem aut secundum rationem potest dici forma ratio formalis suæ propriæ existentiae, quia per seipsam seu per entitatem suam formaliter habet illam, quamvis effective habeat ab alio; quomodo etiam formæ angelicæ per suam formalem entitatem existunt. Et juxta hæc possumus etiam testimonia superius adducta generatim interpretari.

13. *Objectioni satisfact.* — Dices: ergo etiam omnis existentia substantiæ materialis, vel est materiæ, vel est a materia in suo genere causæ; ergo non est cur hoc peculiariter tribuatur formæ. Respondetur concedendo priorem consequentiam, formaliter intellectam de existentia substantiæ materialis ut sic, vel de existentia materiali. Quod ideo addo, quia licet sola existentia animæ rationalis non pendeat a materia, tamen illa non est substantia materialis, et quatenus est forma materiæ, etiam pendet ab illa quantum ad actualem unionem. Esse vero totius compositi ex esse materiæ intrinsece constat, et esse omnium aliarum formarum ab ipsa materia pendet, et hoc modo est materia causa in suo genere omnis existentiae substantiæ materialis. Nihilominus tamen negatur posterior consequentia: peculiari enim ratione tribuitur esse formæ, quia illa est actus complens ac perficiens esse simpliciter. Sicut etiam essentia vel esse essentiae tribuitur specialiter formæ, quamvis materia sit etiam pars essentiae, quia forma est quæ complet essentiam, et quæ determinat materiam, ut sit pars hujus essentiae, cum ipsa de se indifferens sit, ut sit pars hujus vel alterius naturæ. Imo, si attente legatur Aristoteles, citato loco, secundo de Anim., clarius loquitur de esse essentiae quam de esse existentiae; cum enim dixisset animam esse viventium, subdit: *Vivere autem viventibus est esse.* Constat autem quod vivere in actu primo et radicali (de quo ibi est sermo), est esse essentiae viventium, et quod etiam corpus est causa materialis vitæ viventium; tribuitur ergo vivere ipsi animæ, quia complet illud, et distinguit ab alio esse, non quia consortium causæ materialis excludat. Idem ergo dicendum est, etiamsi per esse existere intelligamus, quod non nego Aristotelem intellexisse. Imo ex hoc loco colligo, ex sententia Aristotelis, esse essentiae actualis, et esse existentiae reipsa idem esse, nam Aristoteles solum loquitur de esse in actu, ut D. Thomas et omnes exponunt, quod plane idem est quod existere, et tamen ait, vivere in viventibus esse hujusmodi esse quod est essentialis ipsi viventi.

14. *Essentia an sit finalis causa existentiae.* — Sed objiciet tandem aliquis, nam et dictis sequitur essentiam nullo modo esse causam existentiae propriæ et sibi adæquatam, per quam immediate ac formaliter existit; Bannes, 1 p., q. 3, art. 4, dub. 4.

quia exclusimus omnem rationem causæ intrinsecæ, et tamen constat, etiam esse non posse causam extrinsecam. Ad hoc quidam Thomistæ concedunt, essentiam non esse causam formalem, nec efficientem, nec finalem existentia; excipiunt autem materialem. In quo consequenter loquuntur supposita distinctione quam ponunt, non tamen consequenter loquuntur in rationibus quibus utuntur ad excludendum genus causæ efficientis, quia etiam essentia, ut sit causa vere recipiens, requirit esse essentia actualis. Deinde non video cur excludant causam finalem, cum existentia non ob aliud sit, nisi ut ipsam essentiam in rerum natura constituat. Unde ipsimet aiunt, existentiam non esse ens, quia non est id quod est, sed quo essentia est; est ergo (ut ita dicam) entis ens, et consequenter est propter illud, nempe propter essentiam saltem ut existentem. In principio autem a nobis posito, concedendum quidem est essentiam non habere veram causalitatem realem circa existentiam propriam, quia ubi non est in re distinctio, nec causalitas realis esse potest. Neque hoc est ullum inconueniens, quia nulla est necessitas quod existentia creaturæ habeat intrinsecum principium in ipsa, nisi in quantum ipsamet essentia potest habere tale principium, scilicet, materiam vel formam; sed satis est quod sit ab extrinseca causa efficiente, de qua sola dicendum superest, quod sectione sequente præstabimus, ut distinctius procedamus.

SECTIO IX.

Quæ sit proxima efficiens causa existentia creaturæ.

1. De causa efficiente existentia earum rerum quæ per solam creationem fiunt, nulla est quæstio, quia supponimus solum Deum esse causam illius, quia solus est omnium creator. De existentia autem rerum quæ generantur et corrumpuntur, sub his comprehendendo omnia quæ fiunt per mutationem ex præsupposito subjecto, sive substantia sint, sive accidentia, difficultas est an hæc etiam existentia fiat a solo Deo. De qua res tres reperio sententias.

Prima sententia, soli Deo tribuens efficacitatem existentia.

2. Asserunt quidam novi S. Thomæ interpretes, 1 p., quæst. 3, art. 4, solum Deum absque propria efficientia ullius causæ secundæ principalis vel instrumentalis efficere existentias rerum omnium, et adducunt D. Th.,

1 p., q. 8, art. 1, q. 45, art. 5, 2 contra Gent., c. 21, et lib. 3, c. 66. Rationes eorum sunt. Prima, quia solus Deus est per essentiam, et omnes creaturæ habent esse participatum; ergo solus Deus est qui producit esse. Probatur consequentia, quia virtus causativa existentia supponit ipsum esse in causa agente; sed creatura non habet per se esse, sed ab extrinseca causa; ergo non est per se causativa existentia, sicut aqua, quia per se non est calida, non est etiam per se calefactiva. Secunda, quia omnis creatura in sua actione supponit aliquid a solo Deo productum, quia non potest agere ex nihilo, sed ex præsupposito subjecto; ergo actio creaturæ supponit esse; ergo non est causa ipsius esse. Tertia, quia solus Deus dat existentiam materia primæ, quia a solo ipso fieri potest et conservari; ergo causæ secundæ non faciunt existentiam, qua materia prima conservatur et existit, quia alias illam producerent et corrumpent; sed materia non existit nisi per existentiam totius; ergo causæ secundæ non efficiunt existentiam totius substantia. Quarta, quia non possumus alia ratione explicare, Deum esse causam totius entis, nisi quia ipse solus causat esse tam formæ, quam materia totius. Vel si creaturæ hoc ipsum efficiunt, dicentur etiam causæ totius entis.

3. Quod si inquiras quidnam causæ secundæ efficiant, si non dant esse, vel quo modo generent, cum generatio tendat ad esse, respondent agentia secunda complere susceptivum ipsius esse inducendo formam in materiam, et quia talis forma semper est determinata, ideo consequenter determinant et limitant existentiam seu actionem Dei, ut talem et tantam (ut ita dicam) existentiam conferat, nam omnis actus receptus limitatur a susceptivo. Unde sequitur ulterius etiam efficere, ut existentia essentia uniatur, quia ultimo disponunt et determinant essentiam ad receptionem talis essentia. Atque ita tandem, licet non efficiant existentiam, efficiunt rem existentem, sicut homo generat hominem, licet non efficiat animam, quia unit illam.

Secunda sententia, quæ præter Deum solum admittit instrumentalem causam existentia.

4. Secunda sententia est, existentiam fieri a solo Deo ut causa principali, concurrente autem causa secunda, solum ut instrumento. Ita Ferrar., 2 cont. Gentes, c. 21, cujus sen-

tentia duobus modis posset intelligi: uno modo, utendo late nomine instrumenti, prout omnis causa inferior subordinata alteri, et indigens influxu illius ad omnem suam operationem, potest instrumentum illius appellari, et in hoc sensu loquitur Ferrar. supra, et non ita in re differt a vera sententia statim explicanda; ideoque ibi carpit Scotum, eo quod D. Thomæ imposuerit, quod dixerit, causas secundas non efficere esse. Alio modo potest intelligi illa opinio de instrumento proprio, prout distinguitur a causa principali, etiam secunda et proxima, et in hoc sensu referri solet hæc sententia, quod asserat, causam secundam, ut principalem et agentem propria virtute, efficere essentiam sibi similem, existentiam vero solum ut instrumentum et in virtute Dei, quanquam in hoc sensu nullum memini me legisse huius sententia asseritorem. Fundari autem solet in quibusdam locutionibus D. Thomæ, 1 p., q. 45, art. 5, q. 5 de Veritate, art. 9, ad 7, quæst. 3 de Potent., art. 1, ubi ait, quod nulla res dat esse nisi in quantum est in ea participatio divina virtutis, et adducit propositionem tertiam ex lib. de Causis, qua dicitur: *Anima nobilis habet operationem divinam in quantum dat esse*. Dicit etiam ibidem, solum Deum dare esse ut sic, causas vero secundas determinare illud ad hoc vel illud esse. Et adducit propositionem decimam octavam libri de Causis, ubi dicitur, *Deum dare esse omnibus per modum creationis; agentia vero secunda dare vivere aut sapere per modum informationis*. Denique 3 contra Gent., cap. 66, ex professo probat, *causam secundam non dare esse nisi in quantum agit virtute divina*. Rationes, quæ pro hac sententia fieri possunt, ad rationes factas pro prima sententia reducuntur.

Tertia sententia tribuens causis secundis propriam efficaciam existentia.

5. Tertia sententia est, existentiam quando per generationem fit, a causa proxima fieri, ut a propria et principali causa in suo ordine, subordinata per se Deo ut primæ causæ. Hanc sententiam intendit D. Thomas citatis locis, et 3 contra Gent., c. 13, et 1 p., quæst. 104, art. 1, et quæst. 7 de Potentia, art. 2; et ita intelligunt et opinantur omnes antiqui Thomistæ, præsertim Cajet. et Ferrar. super D. Thomam, locis citatis; et Scotus, in 4, dist. 1, quæst. 1, ex professo, licet falso putet D. Thomam sensisse contrarium. Estque hæc

sententia verissima, et evidenti fere ratione, ut opinor, demonstrari potest.

Resolutio quæstionis, et ultimæ sententia confirmatio.

6. Dicendum est ergo primo, causas secundas, vere ac proprie efficere existentiam suorum effectuum, prout ab ipsis fiunt. Hanc conclusionem ostendo, primo demonstrando debilitatem rationum quibus oppositum probatur; nam si nulla est ratio ob quam hic effectus negetur causis secundis, nemo (credo) negabit esse illis attribuendum; nam Deus creavit illas cum omni virtute ad communicandum se, et producendos perfecte suos effectus, cujus erant natura sua capaces. Quid ergo est ob quod creatura sit incapax virtutis ad faciendam existentiam? An quia ex se existentiam non habet, sed ab extrinseco agente Deo? At vero essentiam ex se non habet, sed ab extrinseco agente Deo; ergo neque essentiam facere poterit; quid ergo facit? Igitur quod ex se non habeat, nil refert, siquidem in se habet, undeque habeat. Retorqueatur ergo prima ratio primæ sententia in hunc modum: solus Deus est sua realis essentia per essentiam; omnes vero creaturæ habent essentiam participatam a Deo, unde in lib. de Caus., propos. 18, sic dicitur: *Res omnes habent essentiam propter ens primum*; ergo solus Deus efficit omnem essentiam. Sicut ergo hæc consecutio nulla est, quia creatura per essentiam participatam, quam a Deo habet, est effectrix similis essentia, ita in simili forma applicata ad existentiam, nullam habet vim, sed solum concludit creaturam non posse efficere esse nisi per esse receptum a prima causa, quod est verissimum.

7. At (inquiunt) saltem creatura non per se efficit esse, sicut aqua calida non per se calefacit. Sed contra, nam licet aquæ non per se attribuat calefactio, tamen et vere ac proprie calefacit, et quatenus calida est, per se calefacit, etiamsi per calorem ab extrinseco agente receptum calefaciat; ergo creatura, quatenus existens est, vere ac per se poterit efficere existentiam, etiamsi suum esse ab alio habeat. Unde in hoc admittimus comparisonem, in alio vero inter aquam respectu caloris, et creaturam respectu sui esse; nam aqua non solum ex se non habet calorem, sed etiam illum nullo modo includit, nec requirit, ut sit aqua, nec per se habet illud adjunctum, sed omnino per accidens, et

ideo actio caloris per accidens dicitur convenire aquæ absolute dictæ. At vero creatura, quamvis ex se non habeat esse, tamen, ut sit actu creatura, necessario ac per se illud includit ac requirit; non efficit autem existentiam creatura in potentia, sed creatura in actu; facit ergo ut causa per se, et ex vi propriæ et connaturalis entitatis quam a Deo recepit. Confirmatur, nam hic etiam applicari potest argumentum factum, quod creatura non causaret per se in suo effectu essentiam seu essentiam, quia neque hoc efficit per essentiam quam ex se habeat, sed quam a Deo recipit: quod tamen falsum esse, etiam alii auctores non diffitentur. Constat igitur, primam rationem, ob quam hæc efficientia denegatur creaturæ, omnino invalidam esse.

8. *Secunda ratio improbat.* — Secunda vero ratio æque est inefficax. Primo, quia ad summum concludit creaturam non efficere illud esse, quod ad ejus actionem supponitur; ex quo etiam recte concluditur, non posse creaturam efficere omne esse, nam aliquid supponi debet a solo Deo factum. Quod vero creatura non efficiat aliquid esse, illud, scilicet, ad quod ejus actio terminatur, seu quod convenit effectui per illam producto, nullo modo potest illa ratione concludi, quia illud esse quod terminat actionem, diversum est ab eo quod præsupponitur actioni; potest ergo creatura illud efficere, quamvis hoc præsupponat. Et declaratur amplius hæc ratio, nam duplex subjectum intelligi potest supponi ad actionem creaturæ. Unum remotum, quod non manet in termino actionis, et habet rationem termini A quo, ut est lignum, ex quo ignis generatur. Aliud proximum, manens sub utroque termino, ut est materia prima. De priori verum est, naturaliter loquendo, præsupponi existentiam ejus ad actionem causæ secundæ; illa tamen existentia destruitur per actionem ejusdem causæ; ergo hoc nihil obstat quominus existentia rei genitæ fiat ab eadem causa. Imo unum ex altero naturaliter consequitur, nam a quo est unius corruptio, solet esse alterius generatio, per se loquendo. De posteriori vero subjecto præcise considerato, ut per se supponitur actioni agentis, auctores illius rationis dicere non possunt in eo præsupponi aliquid esse existentiam ad actionem agentis naturalis, sed solum esse essentiam; putant enim materiam primam, ut est in instanti generationis, prius natura quam accipiat formam per

actionem agentis, nullam habere existentiam. Quod autem illam habuerit toto tempore præcedenti, quatenus erat sub forma corrupti, et nil obstat, ut in priori membro declaratum est, et est per accidens ad effectum existentiam substantialis, quæ fit in instanti generationis; ergo in eorum sententia etiam non est verum, omnem efficientiam causæ secundæ supponere per se ac directe aliquid esse existentiam ex parte subjecti. Ut si fingamus Deum in aliquo instanti creare materiam primam, et in eodem instanti causam secundam inducere formam in illam, concurrente Deo (ut fortasse fit in generatione vermium, vel nutritione ex speciebus consecratis), tunc illa generatio substantialis (juxta eorum opinionem) non supponit existentiam in materia, nec prius tempore, nec prius natura; ergo quod talis actio supponat subjectum, nil obstat quominus per eam fiat existentia.

9. *Objectioni obviam itur et tertiæ rationi respondetur.* — Dicent fortasse, obstare aliud quod in tertia ratione adjungitur, nimirum, quod tunc materia prima haberet a causa secunda existentiam, per quam existit. At hoc in eorum principiis nullum inconveniens est, quia materia (ut aiunt) non habet existentiam immediate per actionem qua creatur, sed per actionem, qua totum compositum recipit existentiam, sive illud creetur, sive generetur, quia non existit propria existentia, sed per existentiam totius; ergo nullum est inconveniens quod ab ea causa secunda habeat existentiam, a qua totum compositum generatur, quandoquidem ad effectum illius existentiam jam supponitur materia ut sufficiens subjectum, ex quo potest causa secunda aliquid agere. At sequi inquirunt, materiam primam generari, et corrumpi a causis secundis, quia per earum actionem acquirit et amittit existentiam. Sed cur non, quæso, idem cum proportionem inferunt respectu Dei, si a solo Deo sit illa existentia, nimirum ab ipso Deo materiam corrumpi et generari, quia per actionem Dei amittit et acquirit existentiam? Utrumque autem constat esse æque falsum, cum materia sit ingenerabilis et incorruptibilis. Respondent non esse parem rationem, quia terminus actionis divinæ solum est esse, quod nunquam deest materiæ; causæ vero particulares determinant hoc esse, in quod aliud commutatur. Sed hoc est impertinens et falsum, nam si, ut res corrumpatur et generetur, satis est mutare esse existentiam, nil refert quod hoc fiat uno vel alio modo, et per

hanc vel illam actionem; si vero id non sufficit, dummodo esse in communi non interrumpatur, sed quasi continue idem esse essentiam maneat sub utraque existentia, etiamsi illa commutatio existentiarum fiat per actionem agentis naturalis, non propterea erit generatio, et corruptio materiæ. Eo vel maxime quod negari non potest in ea sententia, quin saltem dispositive ea commutatio existentiam fiat per actionem agentis naturalis, quia dissolvit proximum susceptivum unius existentiam, et componit seu disponit aliud; ergo, sicut hac ratione dicitur corrumpere unam rem existentem, et generare aliam, dicitur etiam generare et corrumpere materiam primam. Vel si hoc dici non potest, quia obstat idem esse essentiam materiæ semper manens, pari ratione id non sequetur, etiamsi causa secunda efficiat existentiam. Est etiam falsum, actionem Dei solum terminari ad esse ut sic, et non ad determinatum esse; nam, licet virtus effectiva Dei ex se non limitetur ad hoc vel illud esse, sed se extendat ad omne esse, tamen cum in particulari operatur, efficit vere determinatum esse, et commutat unum in aliud, et se solo potest corrumpere unum, et generare aliud. Unde, licet juxta prædictam sententiam determinatio ad tale esse in genere causæ materialis vel dispositivæ proveniat a causa secunda, tamen in genere causæ efficientis per se est a solo Deo, quia ipse solus efficit existentiam et talem existentiam; ergo ipse solus etiam generabit, et corrumpet materiam primam, si ratio illa efficax est; non sunt ergo hæc rationes solidæ, reque consequenter adductæ in eorum doctrina.

10. Simpliciter tamen loquendo, verum est, in proprio subjecto generationis, quod sub utroque termino manet, quod est materia prima, supponi aliquid esse existentiam a solo Deo factum ad omnem actionem agentis naturalis, quia supponitur materia prima creata, et habens suum proprium esse essentiam in se et extra causam suam efficientem, quod sine esse existentiam intelligi non potest, ut supra probatum est. Et eadem ratione, fieri non potest ut materia prima commutet propriam et intrinsecam existentiam, quin commutet propriam entitatem et actualitatem suæ essentiam, et consequenter non solum generetur et corrumpatur, sed etiam annihilatur et creetur, vel transubstantietur. Ex hoc autem vero principio solum inferri potest, causam secundam non posse efficere totam exist-

entiam entis, seu compositi, quoad omnes partes ejus; poterit tamen efficere existentiam formæ in materia, et generare esse totius, non quidem nullam ejus partem supponendo, quia hoc non esset generare, sed creare, sed componendo illud, uniendo partes ex quibus constat, et ultimum ac formale complementum ei addendo.

11. *Quarta ratio refutatur.* — Atque ita etiam constat quartam rationem inefficacem esse, nam, licet causæ secundæ efficiant existentiam generando totum, non tamen creando, neque directe efficiendo totum esse, quoad singulas partes ejus, nullam præsupponendo, quod est proprium Dei, quomodo dicitur esse proprium illius efficere totum ens, ut paulo inferius declarabimus late. Nulla ergo probabili ratione negatur causis secundis virtus ad efficiendam existentiam suorum effectuum.

12. Secundo principaliter probatur conclusio, ostendendo falsum esse modum quo prædicta sententia declarat causas secundas concurrere ad esse. Nam quod ait, causam secundam efficere determinationem ad tale esse, non vero ipsum esse, vel est sensus, quod causa secunda efficit in ipsomet esse aliquam differentiam vel modum intrinsecum, quo determinatur tale esse, et hoc est impossibile, nisi efficiendo totum ipsum esse, quia actio physica non attingit modum seu differentiam metaphysicam, sed rem ipsam prout in se est, neque dicti auctores hunc sensum intendunt. Vel est sensus, quod solum ex parte subjecti secundæ causæ determinant esse, præparando subjectum susceptivum talis esse et non alterius, ut plane dicti auctores intendere videntur, et hoc falsum etiam esse ostenditur. Quia illa doctrina supponit, quotiescunque aliquis effectus a creatura procedit, duas actiones ibi intervenire: unam, quæ est a causa secunda inducente formam in materiam solum secundum esse essentiam; aliam, solius Dei conferentis existentiam. Hoc autem falsum esse multis modis demonstro. Primo, illa vulgari axiomate, quod sicut res, ita et actiones frustra multiplicantur, quando ratio aut necessitas non cogit; hic autem nulla est ratio ad multiplicandas has actiones, ut ex præcedente discursu satis constat. Secundo, quia, si consideretur præcise illa actio causæ secundæ, quæ dicitur antecedere ordine naturæ ad actionem Dei, qua fit existentia, necesse est ut propter illam detur aliquid esse existentiam, quia per illam datur